



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 149. Montmorentius Connestabilis unacum filio suo ad Aulam delatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

rare negligenter, Ludovici XI. Successoris sui indignationem per ignaviam veriti.

Sæcul. XVI.
A. C. 1560.

§. CXLIX.

*Montmorentius Connestabilis unacum
Filio suo ad Aulam delatus.*

Cum Franciscus II. nulla prole relicta decederet, Carolus ejus frater in Regna succedebat, Catharina vero Medicea Regina comperta Filii sui morte quantocius Sangelasium Lanfacum ad Montmorentium Connestabilem misit, unacum literis, quibus eum, ut quamprimum novum Regem salutatum veniret, rogabat, addens, quod ipsius consilio uti perciperet, cum res in eo statu essent, ut singulis sua dignitas, honosque salvus foret, ac quisque libere imposterum suo munere fungi posset. Hisce literis animatus Connestabilis, Franciscum Montmorantium Filium suum, qui Cantiliæ ob adversam uxoris suæ valetudinem hærebat, evocavit, illumque Aureliam mox contendere jussit: cum vero ibidem excubias ad urbis portas cerneret: in quem usum illæ essent dispositæ, sciscitabatur, his vero eidem respondentibus, quod ad Regis præsidium præsto essent, quantocius Connestabilis reposuit: „indignum subditorum est, quod Rex, quem ex suorum bene-

*Thuan. l. 26.
Belcar.
comm. l. 29.
num. II.*

K k 5 volen-

Sæcul. XVI

A. C. 1560.

„volentia tutum esse oportet, in Regni
 „sui centro urbem militari præsidio cin-
 „ctam teneat, hinc nulla mora secedite,
 „si vero id recusatis, vos una omnes la-
 „queo plectendos sciatis., His ergo
 Satellitibus morem gerentibus Conne-
 stabilis ea, quæ animo volutabat, exe-
 qui cœperat; quippe Condæum Prin-
 cipem libertati restituit, qui tamen hac
 gratia primo uti recusabat, asserens,
 quod nolit e custodia exire, priusquam
 sciret, quo delatore, & accusatore in
 carcerem fuisset coniectus: cum autem
 Princeps præcipue a Guisii responsum
 præstolaretur, hi quantocius eidem re-
 spondebant, id Regis defuncti jussu fa-
 ctum, cetera vero sibi haud cognita
 esse; cum ergo Condæus duodecim
 circiter diebus evolutis ampliolem hac
 in re notitiam haurire non posset, tan-
 dem e suo carcere egressus in Picar-
 diam venit, ubi Navarræ Rex ejus
 frater amplissimas possidebat ditiones:
 interea autem præcipui Regni Proce-
 res eidem Navarræ Regi totius Franciæ
 administrationem deferebant, accepto
 Præsidis titulo; quamvis re ipsa summæ
 rerum præesset Regina, ac Navarrus
 non nisi ea præciperet, quæ jam antea
 in secretiori Senatu decreta
 fuerant.

HISTO-